PRIMAE LINEAE PATHOLOGIAE COMPARATAE.

DISSERTATIO
INAUGURALIS MEDICA
QUAM
CONSENSU ET AUCTORITATE
GRATIOSI MEDICORUM ORDINIS
IN
ALMA LITERARUM UNIVERSITATE
FRIDERICA GUILELMA
UT SUMMI
IN MEDICINA ET CHIRURGIA HONORES
RITE SIBI CONCEDANTUR
DIE XXIX. M. OCTOBRIS A. MDCCCXLV.
H. L. Q. S.
PUBLICE DEFENDET
AUCTOR

SAMUEL ROSENBAND
VARSOVIENSIS.

OPPONENTIBUS:

H. CZOLBE, med. et chir. Dr.

J. WOHL, med. et chir. Dd.

W. STRASSMANN, med. et chir. Cand.

BEROLINI,
TYPIS FRATRUM SCHLESINGER.

MANIBUS

MATRIS CARISSIMAE

HASCE

STUDIORUM PRIMITIAS

PIO GRATOQUE ANIMO

D. D. D.

AUCTOR.

INTRODUCTIO.

Studium pathologiae corporis humani unumquemque ferat necesse est ad praesumendam analogiam inter morbos hominum et animalium. Nam quum physiologia doceamur, vitam hominis physici iisdem in rebus verti, quibus in universum brutorum vita contineatur, statum morbosum hominis, qui nihil aliud est quam vita a norma deflectens, sub iisdem conditionibus nasci, quibus in brutis fiant deflexiones, atque cum ipsis similitudinem habere facile intelligitur.

Qua in similitudine statuenda minime quidem nos fugit, hominum morbos pro varia animalium specie varietatem aliquam praebere atque aliquid modificari. Medicorum igitur non minimum interesse debet morbos hominum cum nosologia brutorum comparare, atque inter morbos, qui primo obtutu distantes arcte apparent, analogiam detegere.

Qualem vim in medicinam comparatio morborum hominum animaliumque exercere queat, quales fructus ex tali collatione instituta tam medicina quam ars veterinaria capere possit, nemo non perspiciat.

Rerum in medicina nostra gestarum cognitio nos docet, transitum ad similia in ipsa schola empirica tam magni momenti fuisse, ut in tripodem reciperetur. Altius in rebus medicis gestis adscendentes, oculos si rejicimus in illos magnos viros, qui jure meritoque parentes artis nostrae putantur, in Galenum nempe et Hippocratem, videbimus jam magnum

Coum omnem utilitatem comparationis hominum inter et animalium morbos factae acerrime perspexisse. Loquens enim de hydrope monet invenisse sese hydatides in pulmonibus animalium (1); de epilepsia (*νόσος ἱερή*) dum agit, vulgi opinionem, daemones hujus morbi causam esse, oppugnat argumento illo firmo, quod dissectis capitibus caprarum, quae hoc morbo torquebantur, aquam in cerebro repererit. (*περὶ ἱερῆς νόσου* ed. Kuehn vol. I. pag. 606.)

Claudius Galenus, repetens verba Hippocratis de luxationibus boum, profitetur se persuasum habere observationes artis veterinariae medicinae hominum magno usui futuras esse, *εἰ δή τι καὶ τοιοῦτο δεῖ ἐν ἰητρικῇ γράψαι, δεῖ δέ.* (Opp. ed. Kuehn vol. XVIII. pag. 353.) Sed ut in multis aliis Hippocrates, aetati suae haud maturae ad sublimiorem ejus doctrinam capiendam longe praecurrens, nobis post viginti duo saecula natis demum perspicuus est (cujus rei, si hic locus esset, multa possem afferre exempla), sic illius praeclare dictum de usu practico comparandorum morborum humanorum animaliumque ab aequalibus parvi aestimabatur, nam ut ex supra allatis verbis „*δεῖ δέ*“ elucet, etiam Galeni aetate turpe habebatur in medicina de animalium morbis agere. Unde factum est, ut multis iisque excellentibus Aristotelis scriptis de zoologia atque de zoiatria in lucem editis, nullum conamen pathologiae comparatae inchoandae usque ad finem saeculi praeteriti nobis obviam veniat. Secundo demum dimidio saeculi proximi exstitit vir, qui perspicaci ingenio ductus studiis comparativis morbi exanthematici

(1) *Περὶ τῶν ἐντὸς παθῶν* ed. Kuehn vol. II. p. 469.

variolae totum se dedit, et prosperrimo eventu adjutus indaganda indole ac vi tutoria vaccinae in epidemiam saevientem variolae, tam de salute generis humani quam de litteris optime meruit. Sane hoc unum exemplum sufficit ad praesagienda emolumenta, quae e studiis comparativis morborum in medicinam redundare possint. Nam litterarum ipsarum ratione habita sperare licet fore, ut ad explorandam indolem singulorum morborum hominis collatio eorum cum iisdem animalium morbis, qui re ipsa haud distantes, modificantur solum pro varia ratione anatomica vel alia qualicunque causa, multum conferat.

Atque in universum invicem sese adjuvabunt medicina et zoiatrice. Medicina in aetiologia magnum adminiculum morbi cognoscendi suppeditans, a zoiatrice, cujus symptomatologia multo potior est, obscuriora signa percipere et quid valeant dijudicare discet, dum zoiatrice, quod attinet pathogeniam, multa adhuc tenebris obfuscata e medicina petere potest.

Ne rem altius repetam, exemplum rursus sumam ex inoculationis methodo ab immortali Jennero detecta, quam freti indole variolae, semel solum homines infestandi, etiam in epizootia variolae ovinae (la clavelée francogallice) tutelam nunc adhibemus, ipsa inoculationis methodo bene observatis signis et mutationibus pustularum variolae vaccae uberibus prognatarum originem suam debente. Aliud exemplum offertur nobis non minus evidens in eo, quod investigata natura scabiei hominis ejusque contagiositatis causa, acarum dicimus, multum luminis nobis affulsit in omnes formas scabiei animalium; ubi hoc sane notatu dignum, transmissionem scabiei ex cane, fele et leone (igitur carnivoris) in hominem

faciliorem esse quam ex herbivoris, quod ex specie acari pendere videtur, nam variis in animalibus acari variae species inveniebantur. Perpendentibus praeterea, quam multae epizootiae graviores morbos hominum effecerint, et rursus quam multae epidemiae in anomalia transierint, elucebit ad nexum, quo invicem conjungantur epidemiae et epizootiae, intelligendum, studiis comparativis opus esse. Sed ad inquirendas rationes, quae inter epidemias et epizootias intercedant, et cognoscendas causas transitus quarundam epizootiarum in epidemias et vice versa, noverimus necesse est ea, quibus communitates, ut ita dicam, morborum hominum animaliumque inter se congruant, vel a se differant. Conaturus igitur primas lineas pathologiae comparatae consignare, solum in analogiam morborum humanorum animaliumque indicandam attentus ero, alia, quae potius ad morbos ipsos fusius tractandos pertinent, ut a proposito meo aliena non attingens. Quod ad divisionem morborum attinet, physiologicam elegi ut aptissimam.

A. MORBI DIGESTIONIS ET CANALIS ALIMENTARII DIGESTORII.

Morbi oris.

1. Stomatitis ulcerosa analoga est morbo aphthongulari (aphthae epizooticae), frequentissimo apud ruminantia, non tam frequenti apud equum et suem, perraro apud canem. Hic morbus aphthongularis epizooticus est, et secundum Hildebrandt (Magazin v. Gurlt u. Hertwig a. VI. Sct. II.) per salivam e vaccarum ore emissam transmittitur non solum in alias brutorum species, sed etiam in hominem.

2. Stomatitis gangraenosa apud hominem duplicis formae a) noma, b) angina gangraenosa. Aliam longe praebet formam apud animalia, infestans praecipue linguam, ubi illam atrocem epizootiam glossanthracem repraesentat.

3. Cancer labiorum et linguae rarus apud animalia, nonnunquam tamen cancer labiorum obvius est in equo.

4. Angina faucium etiam in animalibus e multis causis nascitur, est igitur catarrhalis, rheumatica, tonsillaris etc.

5. Verrucae oris rarissimae apud hominem, frequentissimae sunt apud animalia, maxime canem, tum equum et capram propter epithelium magis excultum.

Morbi dentium.

1. Epulis et parulis etiam apud animalia inveniuntur, apud equum tumor ejusmodi nascitur post dentes incisivos superiores.

2. Dentitio etiam apud animalia cum periculis conjuncta est: sic nemo nescit, pithecos pullos, qui captivitate tenentur, apud nos dentitione difficili mori; inter animalia domestica equi (1) et magis etiam canes (2) dentitione difficili laborant.

MORBI GLANDULARUM SALIVALIUM.

1. Parotitis inter animalia frequens, praesertim apud equum et suem atque conveniens parotitidi epidemiae hominis observabatur parotitis epizootica apud canem et felem (3).

2. Fistula salivalis crebrior apud equum, ubi per

---

(1) Naumann, Pferdewissenschaft I. p. 151.

(2) Waldinger, Krankheiten der Hunde.

(3) Schüssele, Veterinärchirurgie II. 1. pag. 102.

corpora aliena in canalem glandulae salivalis delapsa nascitur, quam apud hominem.

3. Ranula apud equum obvia.

4. Ptyalismus saepius occurrit apud equum et canem, rarius apud ovem et bovem.

5. Calculi salivales multo crebriores sunt apud equum, asinum et bovem quam apud hominem, et calculi ipsi majores sunt, granum avenae saepissime pro nucleo habentes.

MORBI OESOPHAGI.

1. Oesophagitis etiam apud equum occurrit simul cum pharyngitide.

2. Scirrhus oesophagi frequens apud equum et bovem.

3. Dilatatio oesophagi observata apud equum, bovem, porcum et canem.

4. Helminthiasis oesophagi cani propria. Inveniuntur in parietibus oesophagi canum strongylus gigas et spiropterea sanguinolenta.

MORBI VENTRICULI.

1. Cruditas ventriculi reperitur apud omnia fere animalia domestica, sed apud ruminantia, quorum digestio in universum tarda est et segni modo efficitur, donec in abomasum cibi perveniunt, inertia ruminis et reticuli quam saepissime invenitur. Ruminatio, normalis processus physiologicus quorundam animalium, rarissimus morbus apud hominem, ubi hoc notatu dignum, ruminantes homines aeque ac ruminantia animalia difficillime ad vomendum incitandos esse (v. Fuchs, Handbuch der allgemeinen Pathologie d. Haussäugethiere, T. 2. p. 237.).

2. Pneumatosis seu secretiones gasis mulierum hyste-

ricarum analogiam habet in morbo periculosissimo ruminantium, tympanitide acuta quae nascitur post pastum immoderatum et copiosum graminum succulentorum et herbae recentis aquosae, ut trifolii etc., ubi per secretiones immensas gasis acidi carbonici, hydrosulphurici et hydrocarbonici (1) rumen inflammatur.

3. Haematemesis exstat quoque apud canem et porcum, nonnunquam etiam apud ruminantia et equum (ubi signum lethale est).

4. Gastritis simplex aut cum enteritide complicata multifarie obvenit apud pecus bubulum, ubi nonnunquam circumscripta et redacta ad unum vel alterum quatuor ventriculorum, vel ad singulas partes intestinorum (2).

5. Gastromalacia, frequens infantum morbus, nondum apud animalia deprehendebatur.

6. Scirrhus ventriculi et cancer, secundum observationes recentes excellentissimi Gurlt (v. e. pathol. Anatomie), inveniuntur apud pecus bubulum in abomaso et pyloro.

7. Helminthiasis, in ventriculo hominis sedem non habens, invenitur in ventriculo omnium fere domesticorum animalium; sic in ventriculo canis spiroptera sanguinolenta et strongylus trigonocephalus, in ventriculo equi spiroptera megastoma, in ventriculo ovis strongylus contortus, in ventriculo suis spiroptera strongylina, deinde amphistoma conicum in ventriculo bovis et ovis.

---

(1) Körber, Krankheiten d. Rindv. u. d. wichtigsten Haussäugethiere. Vol. II. T. 1. pag. 45.

(2) Körber l. c. II. 2. pag. 168.

MORBI INTESTINORUM TENUIUM.

1. Enteritis, ut supra jam dictum est, simplex vel complicata cum gastritide (quod longe crebrius) apud animalia fere omnia domestica occurrit.

2. Helminthiasis intestinorum tenuium hominis (ubi helminthiasis in universum magis propria est infantibus et sexui sequiori) vermes sunt ascaris lumbricoides, taenia solium et bothryocephalus latus; apud animalia accumulatio vermium in intestinis tenuibus nonnunquam immensa est, ut illa obstructio completa et lethalis canalis intestinalis equi per lumbricos, enarrata apud Muyschel (Magazin f. Thierheilk. IX. p. 398) docet. Habitant quidem intestina tenuia equi ascaris megalocephala, taenia plicata, taenia mamillana; intestina tenuia bovis strongylus radiatus, ascaris lumbricoides, taenia denticulata; intestina tenuia ovis strongylus filicollis, strongylus cernuus, ascaris lumbricoides, taenia expansa; intestina tenuia suis strongylus dentatus, ascaris lumbricoides, echinorrhynchus gigas; intestina tenuia canis ascaris marginata, distoma alatum, taenia serrata et t. cucumerina; intestina tenuia felis ascaris mystax, bothryocephalus felis, taenia crassicollis et t. elliptica, strongylus tubiformis.

MORBI INTESTINI CRASSI.

1. Blennorrhoea recti frequens apud canem, equum.

2. Colitis crebra etiam apud equum.

3. Proctitis apud equum et canem observata (Del. Blaine).

4. Diarrhoea lactantium etiam apud animalia inter dentitionem invenitur.

5. Dysenteria occurrit apud animalia aeque atque apud hominem sporadica, aut epizootica apud pecus bubulum,

denique ut enzootica apud agnos (v. Körber l. c. II. 1. p. 377).

6. Rupturae intestini crassi saepius exstant apud animalia, praesertim bovem et equum, quae efficiuntur per constipationem, lithiasin, torsiones.

7. Prolapsus ani etiam apud equum, bovem, ovem, canem.

8. Fistula ani occurrit apud canem et equum.

9. Helminthiasis intestinorum crassorum quoque longe frequentior quam apud hominem, cujus intestina crassa habitant solum trichocephalus dispar numero exiguo et oxyuris vermicularis numero magno. In intestinis crassis equi sunt strongylus tetracanthus et str. armatus, taenia perfoliata et oxyuris curvula; in int. cr. bovis strongylus radiatus, taenia denticulata et trichocephalus affinis; in int. cr. ovis trichocephalus affinis, strongylus hypostomus; in int. cr. suis strongylus dentatus, trichocephalus crenatus; in int. cr. canis trichocephalus depressiusculus.

MORBI PERITONAEI.

Peritonitis rara apud bovem, frequentior apud canem, equum et porcum. Ascites quoque longe rarior apud bovem quam apud alia domestica, et si reperitur, tum jam magis ut exitus peritonitidis quam ut hydrops idiopathicus, apud oves vero ascites saepissime vel ut cachexia hydropica occurrit.

Vermes in peritonaeo hominis sunt observati (rarissime) cysticercus et chinococcus. Iidem frequentissimi sunt in peritonaeo omnium animalium domesticorum, praecipue ruminantium; rarius inveniuntur in peritonaeo equi filaria papillosa, in perit. felis polystoma denticulatum.

Herniae, inguinalis et cruralis, frequentiores apud hominem, non exstant apud animalia, dum hernia ventralis et ischiadica, minus crebrae apud hominem, saepissime occurrunt in animalibus. Hernia umbilicalis congenita non minus frequens apud animalia quam apud hominem.

B. MORBI CHYLIFICATIONIS ET SYSTEMATIS LYMPHATICI.

1. Lymphangitis, apud hominem per se non rara, rara tamen putetur ratione habita frequentiae apud animalia domestica et potissimum apud equum, in cujus morbo, malleo farciminoso, vasa lymphatica immense dilatata concretionibus fibrinosis, pure repleta et ulcerata sunt. (Gurlt, pathol. Anatomie.)

2. Lymphadenitis colli et thoracis hominis analogias habet in morbis animalium hisce: in malleo humido equi (Rotz, la morve), tum in cachexia boum tuberculosa (Perlseuche, la pommeliére); lymphadenitis abdominis, atrophiae mesaraicae infantum, analogiam habet in atrophia pullorum equorum et agnorum.

3. Lymphectasis rara apud hominem, nonnunquam ductus thoracici, frequentissima est in malleo farciminoso equi.

4. Helminthiasis. Treutler reperit in glandulis mesaraicis hominis hamulariam subcompressam; in glandulis mesaraicis caprarum invenitur pentastoma denticulatum.

MORBI SYSTEMATIS VENOSI.

1. Phlebitis a veteribus jam cognita (praesertim inflammatio venae cavae), postea in dubium vocata est; recentiore autem tempore pathologi eam frequentem cognoverunt, quae cognitio ad illustrandos multos morbos antea obscuros multum contulit: sic phlebitis uterina causa febris puerperalis

nuper demonstrata est. Veterinarii animum nondum attenderunt ad hunc morbum, unde factum esse potest, ut phlebitis uterina hepatica et aliae phlebitidis formae frequentes apud hominem nondum viderentur apud animalia. Tamen phlebitis post venaesectionem jam dudum cognoscebatur (B. A. Greve, Erfahrungen über die Krankh. d. Hausth. im Vergl. m. d. Krankh. d. Menschen. Oldenburg 821. T. 2.), phlebitis pulmonalis observabatur in cane ab Otto (l. c. I. p. 357) et phlebitis traumatica et ex resorptione puris nuper descripta est a Renault. (Recueil de méd. vet. IX. p. 169.)

2. Varices frequentes sunt et sat cognitae in bove et equo. Varicositatem venae saphenae in poplite equi appellant veterinarii spatham (Spath germ., eparvin francog.)

3. Phleborrhexis. Venae minores quam saepissime rumpuntur, perforationes truncorum venarum aliquoties observabantur (Otto l. c. I. p. 358), planae discissiones truncorum apud hominem nondum inventae sunt, nisi per vulnera, apud equum vero deprehendebantur quoque discissiones truncorum venarum ex nimia contentione effectae (Gurlt l. c. I. p. 313.)

4. Obliteratio. Venae cutaneae extremitatum post inflammationem chronicam saepissime obstruuntur, trunci magni venarum internarum perraro. Eadem ratio apud animalia.

5. Lithiasis et ossificatio. Sic dicti phlebolithi satis frequentes sunt in venis pelvis et extremitatum inferiorum. Ossificatio venarum perrara est. Eadem ratio apud animalia.

6. Helminthiasis. Observationes veterum de vermibus in sanguine venoso hominis adhuc in dubium vocantur, solus Gruby reperit filarias in sanguine hominis bona valetudine

fruentis; in venis delphini phocaenae magnus numerus strongylorum inflexorum inveniebatur (Baer Act. Nat. Cur. XIII II. p. 560.), praeterea constat vermes adesse in sanguine batrachiorum.

MORBI LIENIS.

1. Splenectasis. Simplex extensio lienis per sanguinem frequens est et endemia. Etiam apud omnia animalia domestica crebra et endemia.

2. Hypertrophia. Nullum organon exstat, quod tam immensam hypertrophiam capere queat apud hominem. Obvenit quoque apud omnia animalia domestica et imprimis apud suem.

3. Splenitis frequens in regionibus paludosis. Iisdem regionibus etiam morbi splenici enzootice regnant. Lien canis nonnunquam peculiares vegetationes externas praebet.

4. Splenomalacia saepius invenitur, sed nondum explanatum, quae ejus causae sint et quali modo efficiatur?

5. Splenorrhexis aliquoties reperta apud hominem, apud animalia pluries; in liene canis inveniebantur cicatrices.

6. Pseudomorphosis. Novae formationes in liene hominis frequentes deprehenduntur, interdum tubercula miliaria corpusculis lienis respondentia. In liene animalium eaedem formationes novae, tubercula miliaria et hydatides inveniuntur, quas Reynaud frequentiores putat esse in liene quam in pulmonibus apud simias. (Andral, Grundr. d. path. Anat. p. 256).

MORBI HEPATIS ET SECRETIONIS BILIS.

1. Plethora hepatica crebra quoque apud omnia animalia domestica, ut equum (Gurlt l. c. p. 187.) et praecipue apud canem. (Delabere Blaine p. 86.)

2. Phlebitis hepatica, ut supra dictum est, nondum observata apud animalia.

3. Hepatitis parenchymatosa, frequens in regionibus calidis, apud nos quoque non rara est. Abscessus saepius formantur, saepissime vero abit hepar in indurationem. Apud animalia abscessus hepatis rari sunt. Canes corripit saepius hepatitis chronica, acuta iis lethalis est. Hepatitis ovium acuta enzootica est, mox abiens in typhum, quare hep. typhosa, icterus acutus denominatur. Hepatitis boum serosa est, rarissime occurrit abitque in indurationem. (Koerber l. c. II. 1. p. 179.)

4. Hypertrophia hepatis. Hyp. vera nusquam multum augetur volumen hepatis, incrementum per exsudationem inflammatoriam, vulgo putatur hypertrophia. Vera autem hypertrophia congenita infantum nostrorum non rara est, quae etiam invenitur apud pullos animalium. Ex inflammatione saepius immense increscit hepar animalium.

5. Atrophia hepatis semper post alios morbos apud animalia quoque reperitur.

6. Pseudomorphosis hepatis. In hepate hominis novae formationes, ut hydatides, tubercula, frequentiores sunt quam in ullo alio viscerum. In glirium, caprarum et ovium hepate hydatides crebriores etiam sunt quam apud hominem.

7. Helminthiasis. Ductus hepaticos hominis habitant haud magno numero distoma hepaticum et lanceolatum, parenchyma echinococcus et superficiem cyticercus. Hepati animalium iidem vermes insident et quidem frequentissime: sic ille notissimus ovium morbus cachexia icteroverminosa seu labes hepatis verminosa (Egelseuche, Anbruch) nascitur per

distoma hepaticum (rarius per distoma lanceolatum), habitans ductus hepaticos et vesicam felleam (Koerber l. c. II. 2. p. 180.); apud ruminantia et sues frequentes sunt echinococcus et cysticercus, apud capras pentastoma denticulatum, apud felem pentastoma ferum.

8. Icterus apud plura inveniebatur animalia, potissimum apud canem et porcum saepius, tum apud ovem, sed raro apud equum.

9. Polycholia obvia apud canem (Delabere Blaine p. 85.)

10. Lithiasis bilis et apparatus biliarii frequens apud hominem, rara est apud animalia, quae tamen constat lithiasi intestinorum laborare, ubi calculi tam increscunt, ut mortem afferant, lithiasi ventriculi, nondum observata apud hominem.

Paulo frequentior lithiasis bilis est apud bovem. Quod attinet analysin chemicam calculorum biliariorum, maximam partem constant ex cholesterino.

MORBI SYSTEMATIS VENAE PORTAE.

Propter diagnosin horum morborum in animalibus incertiorem et parum stabilitam, multi enim morbi iique diversi typhus appellantur, comparationi cum analogis morbis hominum difficultates obstant magnae.

1. Plethora abdominalis, hunc statum apud animalia adhuc non cognoverunt veterinarii.

2. Febris biliosa. Hic solus morbus ejus speciei est, qui observabatur in animalibus domesticis, praesertim in cane, et apud bovem nonnunquam simul cum typho boum contagioso, pesti bovilla (Rinderpest). Koerber II. 1. p. 35.

Analogias aliorum venositatis morborum in animalibus indicare, difficillimum sit.

MORBI SYSTEMATIS ARTERIOSI.

1. Arteritis. Inflammatio arteriarum, localis non tam rara quam vulgo putatur, etiam per dyscrasias inflammantur singulae arteriae: sic exstat arteritis syphilitica, arthritica (1) apud animalia, arteritis localis rarissima est (Gurlt l. c. I. p. 309), sed arteritis universalis in febri inflammatoria non minus quam apud hominem frequens est.

2. Obliteratio arteriarum passim observata apud animalia.

3. Ossificatio arteriarum rarior apud animalia quam apud hominem.

4. Aneurysma carotidum aliorumque truncorum e corde egredientium, crebro apud hominem, raro apud animalia invenitur; aneurysmata vero aortae abdominalis arteriarumque mesentericarum frequentia sunt apud equum. In aneurysmatibus equi invenitur saepe strongylus armatus.

Arteriorrhexis, non raro obvia apud equum.

MORBI CORDIS.

Hi morbi frequentiores sunt quam adhuc putabantur (v. Clarus u. Radius Beiträge I. p. 393).

1. Pericarditis crebrior est apud bovem quam apud alia animalia domestica et quidem simul cum carditide, quae oritur per acus, clavos aliaque ejusmodi corpora aliena devorata, quae perforatis ventriculo et diaphragmate in cor delabuntur: quae carditis semper lethalis est, si corpora aliena

(1) Schoenlein spec. Path. u. Ther. I. pag. 152.

in reticulum pervenerunt, minus periculosa, si in rumen delapsa sunt (Korber l. c. II. 1. p. 163.). At etiam rheumatismus tunicae serosae pericarditidis boum saepe causa est.

2. Hydrops pericardii rarior apud bovem et suem quam apud oves, canes et equos.

3. Endocarditis. Nuperrime a Francogallis et Anglis observabatur ejus frequentia apud animalia, et quidem Bouley, Renault et alii attenderunt animos ad connexum ejus cum rheumatismo articulari pariter atque apud hominem. (Rec. d. méd. vet. XII. p. 459.)

4. Carditis muscularis. Nuper reperiebatur carditis epizootica. (Magaz. f. Thierh. VII. p. 62.)

5. Hypertrophia cordis animalium aliquoties deprehensa.

6. Pseudomorphosis. In universum novae formationes in corde animalium tam rarae quam in corde hominum, hydatides tamen et vermes cysticercus et strongylus frequentiores sunt. (Gurlt l. c. p. 298.)

7. Stenosis ostiorum cordis, apud hominem morbus crebrior, raro exstat apud animalia.

8. Dilatatio cordis. Neque ea tam frequens quam in homine apud animalia.

9. Cardiorrhexis saepius petit animalia quam homines.

10. Atrophia cordis in animalibus majore gradu observabatur quam apud hominem. (Gurlt l. c. I. p. 294.)

MORBI ORGANORUM RESPIRATIONIS.

In omnibus morbis acutis canis organa respiratoria maxime afficiuntur.

Pleuritis frequens canum morbus. Hydrops pleurae inter animalia saepissime corripit canem et ovem. Novae forma-

tiones frequentiores sunt in pleura animalium quam apud hominem. Vermes quoque echinococcus et filaria haud raro inveniuntur. (Gurlt l. c. I. p. 279.)

MORBI PULMONUM.

1. Pneumonia acuta simplex inter animalia occurrit maxime apud equum. (Dietrichs, Hdb. d. Path. u. Ther. f. Thierärzte p. 156.) Apud alia animalia domestica multae epizootiae exstant, ubi pulmones simul cum aliis organis pectoris gangraena destructa inveniuntur, ut nesciamus, num pneumonia sit causa, an in decursu totius morbi pulmones afficiantur. Tantum non possum quin afferam formam pneumoniae propriam boum Lungenseuche, cujus indolem nuper demum ab excellentissimis Funke et Franque bene illustratam his verbis definit Körber l. c. II. 1. p. 137.

Pleuropneumonia pecorum est inflammatio texturae pulmonis et pleurae; propria pulmonis pecorum structura, lobuli nempe magis inter se separantur pluribus membranis cellulosis, vesiculae pulmonales ampliores sunt, reddit hanc pneumoniam aptam ad tardiorem decursum et copiosas exsudationes. Saepius intermittit, est contagiosa enzootica et epizootica.

2. Emphysema pulmonum verum cum dilatatione vesicularum pulmonalium frequentius est inter animalia apud equum. Veterinarii hunc morbum appellant Dampf, Pousse. Oedema pulmonum creberrimum est apud ovem.

3. Tuberculosis pulmonum. Inter animalia hic morbus frequens in herbivoris, carnivora minus laborant tuberculosi. Sic in malleo humido equi (Rotz) tubercula pulmonum etiam saepe inveniuntur, quamquam longe absum, ut accedam opinioni Dupuy, qui hunc morbum meram tubercu-

losin declarat. Vaccae vero prae ceteris tuberculosi pulmonum afficiuntur, unde cachexia boum tuberculosa, Perlseuche, la pommelière (1). Aliae pseudoplasmata, ut hydatides, longe frequentiora sunt in pulmone animalium. Gangraena pulmonum quoque crebrior apud animalia quam apud hominem. Vermes animalium pulmones habitantes cysticercus et echinococcus sunt, nulli in hominum pulmonibus.

MORBI LARYNGIS, TRACHEAE ET BRONCHIORUM.

Laryngitis et tracheitis saepe invadunt animalia. Tunica mucosa laryngis incrassata et oedema glottidis causis asthmatis equi (cornage) adnumerantur.

Laryngitis et tracheitis exsudativa saepius observata apud equum et bovem. (Greve l. c. II. p. 6. Gurlt l. c. I. p. 272.)

Pseudomorphosis. In larynge hominis nonnunquam observantur cystides polypi et tumores fungiformes, quibus coarctatur larynx; apud bovem quoque et praecipue equum inveniuntur tumores comprimentes laryngem et glottidem, et sic causa asthmatis equi fiunt (Dietrichs l. c. pag. 435. Gurlt l. c. I. pag. 269.)

Phthiseos laryngeae et trachealis nulla observatio apud animalia est.

Helminthiasis. Jam pluries attigi vermes in toto animalium tubo alimentario reperiri, apud canem vel in ipso oesophago; nec minus tracheam et bronchia animalium vermes habitant: strongylus micruris in vitulis, str. filaria in agnis,

---

(1) Oves laborant phthisi tuberculosoverminosa. Körber l. c. II. 2. pag. 165.

in porcis str. paradoxus. Adducunt vero perniciosos morbos (Körber l. c. II. 2. p. 167). Exstant exempla, ubi hirudines, haemopis et oestri larvae ibi repertae, mortem vitulorum, quin etiam canum effecerunt.

MORBI NASI ET SINUUM.

Inflammatio membranae mucosae, sinuum frontalium equi et bovis frequens. Ut epizootia grassatur in sues.

Exulceratio longe saepius in animalibus occurrit, et quidem frequentissime symptoma cachexiarum constituit.

Helminthiasis. In sinubus frontalibus canum reperitur saepe pentastoma taenioides, rarius in equi sinubus.

Parasita. In cavo nasi hominis comedones inveniuntur, apud ruminantia larvae oestri. Polypi etiam in naso equi, canis et bovis observati.

MORBI CATARRHALES.

Attentis nobis mox apparet similitudo morborum catarrhalium hominis cum iisdem in animalibus. Sic catarrhus simplex nostrorum infantum et adolescentium cum dispositione scrophulosa vel phthisi hereditaria praebet intumescentias gangliorum lymphaticorum, similes scrophulis equinis (Drüse, gourme). E catarrhis oriuntur interdum phthises pituitosae subacutae, aequiparantes phthisi pituitosae boum.

Febres catarrhales nervosae epidemiae aequant nonnunquam febribus epizooticis canum. Constitutiones catarrhales endemiae et epidemiae magnam nonnunquam ostendunt nobis analogiam cum enzooticis et epizooticis. Attamen magna analogia, quam morbi catarrhales tam inter se, quam cum iisdem hominum morbis praebent, non impedit, quin alia animalium species aliam qualitatem propriam et peculiarem modificatio-

nem assumere tendat. In catarrho equi (Druse) ganglia lymphatica mox tumescunt, unde adenitis (scrophula equina, gourme) oritur, facile abiens in malleum humidum. Catarrhus bovis degenerat facile in statum ulcerosum et gangraenosum, magno cum periculo conjunctum. Catarrhus ovium prompte recipit conditionem cachecticam et putridam. Catarrhus canis quam maxime studet complicare sese cum statu nervoso et atactico, repraesentatque morbum, quem dicunt Staupe. Similis morbus in fele sese manifestat. Morbi catarrhales omnes quam maxime idonei sunt ad contagiositatem contrahendam abeundumque ex una specie animalium in alteram. Regionibus humidis et nebulosis morbi catarrhales enzootici sunt. Omnes morbi catarrhales facile transformantur in epizootios, tum simul plures animalium species, tum unam solum petentes. Praesertim equi saepius, influenza epidemia in homines grassante, morbo huic simili infestantur. (Magaz. f. Thierh. V. p. 434.)

Status verminosus et pituitosus pulmonis agnorum et porcorum eximiam analogiam praebent cum statu pituitoso et verminoso intestinorum infantum nostrorum: hi morbi eandem infestant aetatem, iisdem regionibus endemii et enzootici sunt, uno eodemque tempore epidemii et epizootici grassantur.

Tussis convulsiva in animalibus nondum reperta est.

Diaphragmitis, apud hominem rara, frequentior apud animalia (Waldinger l. c. p. 95.)

Ruptura diaphragmatis equi non rara est (Rec. d. méd. vet. 461.)

Inflammatio glandulae thyreoideae hominis rara est. Secundum Schuessele (l. c. p. 111.) apud omnia animalia obvenit domestica, praecipue canem.

Hypertrophia glandulae thyreoideae non tam frequens est apud animalia quam apud hominem, excepto cane (Delabere Blaine p. 24), apud agnos hereditaria est (Magaz. f. Thierh. I. pag. 37.) et iisdem regionibus, ubi regnat endemia, enzootica est.

MORBI ORGANORUM UROPOETICORUM.

Nephritis inter animalia apud bovem crebrior. (Koerber II. 1. pag. 189.)

Pseudomorphoses renum, praesertim cystides in homine frequentes, non observatae apud animalia.

Helminthiasis. In hominis renibus sunt strongylus gigas, dactylius aculeatus, spiroptera hominis; in animalium renibus solus strongylus gigas apud genus canis, equum et bovem.

Cystitis apud omnia animalia obvia, frequentior est in pecore bubulo. Delabere Blaine observavit cystitidem mucosam epizooticam apud canem.

Catarrhus vesicae acutus frequenter quoque animalia corripit.

Diabetes hominis habet analogiam in morbo animalium, praesertim equi, in quo urina copiosa et aquosa fit. Hydruria. Semel tali diabetae forma grassante epizootice, Lassaigneji analysis chemica acetatem liberam obtulit; etiam hoc, quod notatu dignum, epizootia, de qua sermo est, offerebat, quod morbus infestavit (ut diabetes solum viros, nunquam mulieres) solum admissarios equos, raro canterios et nunquam equas.

Albuminuria observabatur a Clayworth et Percivall in equo.

Haematuria apud animalia, praecipue pecus bubulum et oves non solum ut symptoma plurium morborum, e. g. nephritidis, cystitidis, et typhi carbonici (hupercarbonici Koerber) occurrit, sed etiam ut cachexia enzootica regionibus paludosis verno tempore, qua de causa a Germanis Maiseuche vocatur. Post mortem inveniuntur calyces renales sanguine dissoluto repleti. In Francogallia australi haematuria occurrit complicata cum irritatione inflammatoria membranae mucosae canalis digestorii ac febri typhosa, ubi eam nuncupant morbum sylvaticum, maladie de bois.

Quod ad morbos spectat excretionis urinae, ischuria in omnibus formis, renalis, vesicalis, ureterica, urethralis apud omnia animalia non minus frequens est quam apud hominem. Stranguria, dysuria et enuresis haud rarae quoque sunt apud omnia animalia domestica.

MORBI ORGANORUM SEXUALIUM.

Orchitis etiam apud animalia frequens. Hydrocele rara in animalibus, apud multa animalia neque cogitari potest de hydrocele, e. g. apud elephantem bradypodem, mammalia maris propter rationem anatomicam sat perspicuam. Varicocele, cirsocele nonnunquam reperiebantur apud equum.

Pseudomorphosis. Sarcocele et scirrhus saepius cernebantur apud canem (Delabere Blaine p. 157.), equum, asinum et porcum. (Greve l. c. II. pag. 9.)

Pseudomorphosis prostatae. Passim prostata increta, degenerata et scirrhosa aeque apud canem ac apud hominem. (Gurlt l. c. I. p. 222.)

Blennorrhoea urethralis obvia apud canem et equum. (Greve l. c. I. p. 89.)

P h i m o s i s et p a r a p h i m o s i s apud equum, canem et bovem.

S c i r r h u s et cancer penis frequentes sunt apud canem et equum.

M e t r i t i s manifestatur apud vaccas et equas ut inflammatio membranae mucosae cum copiosa secretione fluidi purulenti.

F e b r i s puerperalis cum peritonitide mulierum habet analogiam in metritide serosa vaccarum post abortum (verkalben) vel partum difficilem orta. (D i e t r i c h s l. c. pag. 212.)

P o l y p i uteri etiam in vaccis et equis tam crebri quam in mulieribus.

C a r c i n o m a et scirrhus uteri animalium longe rarius occurrunt quam apud mulierem. Exstant in vacca (Rec. d. méd. vet. X. 289) et frequentius etiam in cane (D e l. B l a i n e p. 25).

A b n o r m i t a t e s catameniorum locum non habent, ut per se patet, apud animalia; apud simias vero, quae defluxum sanguinis ex utero menstruationi haud dissimilem praebent (B u r d a c h, Physiologie), etiam abnormitas menorrhoeae similis, haemorrhagia uterina observata est a G r e v e l. c. II. p. 53.

H y s t e r o p t o s i s obvenit apud omnia animalia domestica. Ruptura uteri frequentissima apud vaccam.

I n f l a m m a t i o vaginae crebra etiam apud equam, vaccam, canem. In morbo aphthongulari vagina exulceratur, quod quidem, ut alia accedentia hujus morbi, non pro morbo peculiari habendum est.

P o l y p i in vagina canum inveniuntur.

Fluor albus frequens quoque apud vaccam (Rychner, Bujatrik p. 227), equam (Mag. f. Th. VIII. p. 218) et canem.

Colpoptosis apud vaccam, ovem et equam frequens. Ruptura vaginae apud vaccam et ovem frequentior quam apud mulierem. Inflammatio clitoridis et labiorum pudendi accidit omnibus domesticis animalibus. Scirrhus et carcinoma clitoridis apud equam occurrit.

MORBI MAMMARUM.

Intertrigo cutis infra sinum mammae atque eczema circa papillam mammae vaccas quoque infestat. Morbi bullosi et pustulosi rari in mamma mulierum animalium, sedem sibi eligunt ubera, quae constat et a variola semper infestari. — Lichenes et productiones verrucosae, non tam frequentes quam alii mulieris mammarum morbi, frequentissime observantur in uberibus vaccarum et canum. — Lupi minores, i. e. folliculi sebacei hypertrophici circa papillam mammae, apud mulieres rari, frequentiores longe sunt in uberibus animalium domesticorum.

Abscessus mammarum crebri quoque sunt in uberibus animalium post inflammationem telae cellulosae.

Scirrhus et carcinoma, saepissime infestantes mammas, non minus frequentes sunt in animalium uberibus (Gurlt l. c. pag. 250).

Indurationes ductuum lactiferorum vel ossificationes, et tumores lactei occurrunt etiam apud animalia. — Oblitterationes ductuum excretoriorum post mammae areolam etiam apud vaccas invenimus. In sacculis ductuum lactiferorum vaccae verrucae minores inveniuntur, obturantes ductus excretorios effluxumque lactis prohibentes. (Rychner, Buj. 318.)

Quod ad vitia pertinet lactis animalium, praeter ea, quae iis cum homine communia sunt, ut lac aquosum viscidum, purulentum, et microscopicis disquisitionibus Francogalli Donné in lacte mulieris noxio et in lacte vitioso animalium detegebantur, alia multa novimus, ut illud vitium, quod Germani vocant Blutmelken, lac cruentum, obvium in vacca, ove et equa, proveniens ex sanguine extravasato post concussionem vel contusionem, seu ex sero sanguinis lacti immixto. Tum lac amarum apud vaccam, quod secundum Rychner statui gastrico bilioso et secretioni bilis impeditae tribuendum est, lac igitur tale et butyrum ex eo vitandum sit. Porro lac acidum vocamus illud, quod paullo post mulctum chartam tinctoriam coeruleam rubefacit; id quod nonnisi humorum depravationi tribui potest; an fortasse apud mulierem etiam, lac, quod infantum diarrhoeas et colicas etc. efficere videmus, tali conditione utatur? Deinde lac coeruleum apud vaccam post pastum plantarum materiam tinctoriam indigoferae similem continentium creari credebatur (Hermbstädt), quocirca lac innocens habebatur, sed ex recentissimis explorationibus Fuchsii principium nocens in lacte ipso inest, si quidem disponitur lac ad procreanda infusoria, quae ab excellentissimo Ehrenberg ad genus vibrio pertinentia dicebantur et eam ob rem a Fuchsio vibrio cyanogenus appellabantur; lac tale igitur nocivum habendum est, idque eo magis, quo frequentius etiam cum lacte coeruleo manifestam aegritudinem vaccae conjunctam videmus. Denique lac flavum rarius occurrit; in hoc quoque lacte a Fuchsio (1), vibrio xanthogenus detege-

---

(1) Fuchs in Magazin f. Thierh. a. VII. Sct. II.

batur, omnia igitur, quae supra in lac coeruleum dicta sunt, huc quoque valent.

Ceterum venena sumta per lac cum fruentibus communicari, in omnium ore est: sic neonatis nostris syphilide affectis commode administramus lac e capra, cui mercurius inunctus est, et nutrix syphilitica per lac in infantem, quem nutrit, syphilidem transfert.

MORBI CUTANEI.

Aptum esse puto divisioni morborum, quam elegi secundum physiologicas functiones organorum et partium corporis, morbos cutis, ut organi inservientis praeter alias physicas actiones purificationi sanguinis fluidi nutritivi concentratissimi, morbis organorum ad nutritionem et sanguificationem valentium supra tractatis adserere. Quam difficile autem sit, consentanea morbis cutis hominis in dermatopathologia brutorum reperire, perspicies, si memineris rationem anatomicam longe aliam esse in cute animalium. E. g. si modo externa spectare velimus, cutis crassa et callosa elephantis quomodo praebeat in statu morboso eadem phaenomena, quae cutis tenera hominis? Sed multa etiam alia sunt, quibus longissime differt a cute hominis cutis animalium. Mobilior et liberior est, gaudet musculo peculiari cutaneo seu concutiente, tela cellulosa copiosior et systema lymphaticum amplius sub cute est: quae omnia conferunt ad formandas aliquas dissimilitudines inter morbos cutis hominis et animalium. Attamen cum nobiscum reputemus alterationem in cute non omnem morbum constituere, sed potius huic externo cutis morbo morbositatem internam fundamento esse, tum dermatopathologia animalium non omnino distare potest ab humana. Proposui igitur mihi

analogiam inter morbos, quamvis varii nominis indicare, dermatopathologia hominis secundum systema Biettii pro basi posita.

I. EXANTHEMATA.

1. Erythema in omnibus varietatibus, ut nodosum etc., frequens quoque apud animalia.

2. Erysipelas in omnibus fere formis etiam apud animalia. Sic er. verum apud pecus bubulum, potissimum in uno vel duobus cruribus posterioribus circa articulationem astragali, sed etiam in uberibus, collo et ventre. Er. oedematodes, gangraenosum. Comitantur erysipelas status gastricus, difficultas concoctionis, ut apud hominem, quare apud canem, quem erysipelas infestat non rarius quam bovem et ovem, emeticum bonum remedium est. Er. pustulosum pecoris bubuli, Rindermauke (impetigo erysipelatosa Haubener), sedem sibi eligit pedes posteriores, sursum usque ad articulationem tali et rarius simul ad crura anteriora genu sursum sese porrigens.

3. Roseola non est observata apud animalia.

4. Morbilli exanthema febrile apud porcum et praecipue apud ovem, ubi omni ratione aequat morbillis hominis. (Adamowiez l. c. p. 476. Koerber l. c. II. 2. pag. 22.)

5. Scarlatina apud porcum et canem (Adamowiez l. c. p. 467.), recentissimo tempore a Percivall et aliis in equo quoque reperiebatur.

6. Urticaria, apud pecus bubulum solum chronica observata, (Koerber l. c. II. 2. pag. 70.), equum et alia domestica animalia petit.

II. VESICULAE.

1. Miliaria nondum cognita est in animalibus.

2. Herpes analogiam habet in herpete crustoso ovium (Koerber l. c. II. 2. p. 74.), qui in singulis locis plerumque dorsi segregatim apparet, circumscriptus diametro pollicis, mox limpidus fit, et post nonnullos dies in crustas superficiales abit. Herpes decalvans magis consentaneus videtur eczemati. Herpes circinatus manifeste expressus observabatur in equo ab Heckmayer (Mag. f. Thierh. a. VII. p. 277.)

3. Scabies apud omnia animalia obvenit et ut jam supra monitum est, in eo, quod in homine et singulo animalium genere singula species acari scabiei ab excellentissimo Hertwig inveniebatur, firmum argumentum habemus, acarum insi-

dentem cuti procreare scabiem, nec vero e scabie per solum contactum aut alio modo (principium contagii tum non tam plane evidens esset) nasci et procreari acarum; unde simul suspicari licet, faciliorem transmissionem scabiei quorundam animalium (carnivororum) in hominem, ex affinitate speciei acarorum, qui scabiem efficiunt, pendere.

III. BULLAE.

1. Pemphigus acutus observabatur in equo a Nebel (Nosologia brutorum cum h. morbis comp. Giessae 1798. p. 53.)

2. Rupia. Analogon in animalibus est paronychia (claudicatio) epizootica, ubi exanthema bullosum in fissura ungulae pedum posteriorum erumpit. Haec paronychia infestat pecus bubulum, ovem, capram, porcum.

IV. PUSTULAE.

1. Variola genuina maximam analogiam habet in variola ovina (le claveau, la clavelée, la picote) et circa formam et circa sedem; etiam epizootia hujus variolae ante methodum inoculationis adhibitam eodem modo atrox et devastans fuit, quo variola hominis. Heintl (1) refert Austriam perdidisse singulo quoque anno per hanc epizootiam 400000 oves et secundum Salmuth (2) sex annis octava pars ovium periit. Variola ovina est contagiosa in gradum majorem. Vis tutoria hujus variolae probata est per transplantationem in hominem a pluribus institutam. Quod originem hujus morbi apud animalia attinet, extra dubium positum esse videtur illum originarium hominis esse et in animalia ex homine demum translatum. Nam primum malignitas et devastatio, quam variola in homines exercuit, nusquam eundem gradum assecuta est apud animalia; tum iis temporibus, quibus jam fide relatas accepimus epidemias variolae hominis, anno 712 in Hispania et anno 572 in Arabia regnantis, nulla mentio fit variolae animalium, et ipsius variolae ovinae traditionem accepimus demum saeculo 15mo (fabula inscripta der listige Advocat ex anno 1460 mentionem facit variolae ovinae) et 16mo, quo Taubert hanc epizootiam in circuitu Montis Pessulani observavit, ubi quidem nondum tam atroci modo saeviit quam saeculo 18mo.

Variola vaccina, in uberibus vaccarum nata, mite decurrit. Hujus var. vac. verae solum lympha transplantata tu-

---

(1) Heintl über d. Blattern d. Schafe. Wien 1823.

(2) Salmuth, Preisschr. ü. Impfung d. Schafpocken. Cöth. 1804.

tatur hominem a variola genuina. Quod attinet quaestionem, utrum var. vac. sponte nascatur, an solum per contagionem in vaccas ab homine vel aliis animalibus transferatur, puto in eo, quod var. vac. procreatur eadem materie ulcerosa paronychiae equi (Mauke), quae transplantata variola hominis nascitur, et rursus communem cum vaccina in variolam hominis vim tutoriam habet, sat firmum argumentum inesse, var. vac. non originariam, sponte natam esse, sed ab homine vel indirecte, veluti plerumque secundum observationes Jenneri per materiam illam ulcerosam equi (Mauke) forte in vaccam illapsam, aut directe ad modum aliorum contagiorum, quorum principium non sub oculos cadit, in vaccas transmitti.

Ex supra enunciatis simul elucet etiam inter morbum exanthematicum paronychiam equi, grease, eau aux jambes, javart simple, Mauke (cum morbositate generali et febri, cujus materies vaccinam procreare et hominem a variola genuina tutari valet) et variolam vaccinam ipsam rationem eandem intercedere, et ambos variolam ab homine translatam esse: quam ob rem non dubito illum morbum equi variolam et auctore Viborgio propter vim tutoriam simpliciter equinam pronuntiare; modo caveamus, ne permutemus equinam cum altero morbo in pedibus equi locali paronychia, qui nihil aliud commune habet cum equina quam sedem, ut jam ab Jennero monitum est.

Sues quoque, praesertim porcelli variola infestantur, cujus sedes praecipue est in locis nudis, non obtectis setis crurum, ventris et capitis. Decurrit variola suilla intra 12 dies mitissime. Eam ex variola hominis natam esse satis probatur et inoculatione variolae hominis in sues prospero cum eventu instituta a Viborgio, et ejusdem observatione grassari incipere variolam suillam media in epidemia variolae hominis et epizootia variola ovinae. Variola deinde occurrit etiam apud canes cum febri fortiori et decursu in universum variolae aliorum animalium simili, Reimer, Hurtrel, d'Arboval, Funke auctoribus. Haud raro variola canum lethalis fit accedente diarrhoea foetoris vehementissimi. Translatio epidemiae variolae hominis et epizootiae var. ovinae in canes observata et inoculatio variolae vaccinae in canes prospero cum successu facta est a Sacco et Viborgio.

2. Ecthyma. Simile quidquam huic morbo pustuloso non inveni apud scriptores veterinarios.

3. Impetigo. Plerumque agnos, sed etiam oves infestat exanthema pustulosum impetigini persimile, sedem habens cutem externam labiorum oris (plerumque labii superioris), atque etiam circa nasum, buccas et aures sese porrigens.

4. Porrigo (Achor) analogiam habet in porrigine leprosa vitulorum (Haubner), sedens circa fissuram oris, rarius in aliis locis capitis; deinde pustulae in equorum jubis erumpentes (plerumque equorum pascentium ex accumulatione pulveris squalorisque) - Mähnengrind - sunt porrigines; etiam in cauda equi pascentis (Weidepferd) porrigo erumpit.

V. PAPULAE.

1. Lichenis analogon non inveni descriptum.

2. Prurigo habet analogiam in frequenti morbo pecoris bubuli, sub finem hiemis et incipiente vere sese manifestante, quem Rychner appellat pruriginem vernalem, ebullitionem benignam.

VI. SQUAMAE.

1. Lepra. Hujus morbi analogon ex descriptis morbis cutis animalium eruere non potui, et morbi sic dicti lepra, e. g. lepra vitulorum etc., non quadrant in lepram, sed aut in porriginem, ut lepra vitulorum, aut in alium morbum cutis. In universum denominatio morborum cutis animalium tam incerta et varia est, ut alius auctor aliam denominationem singuli cujusque morbi cutanei creaverit.

2. Psoriasis. Apud equum ps. podicis, pudendi, ophthalmica occurrit, frequentior etiam est in extremitatum articulationibus. (Greve l. c. p. 124.)

3. Pityriasis inter animalia invadit bovem, praecipue tauros crassicolles, in cervicibus erumpens, qui morbus a Rychner appellatur herpes furfuraceus, similis morbus frequenter apud equum observabatur a Greve (l. c. II. p. 122.)

4. Ichthyosis. Nulla descriptio similis morbi apud animalia exstat.

VII. TUBERCULA.

Elephantiasis Graecorum. Regionibus calidis elephantiasis corripit quoque sues (Greve I. p. 25.)

VIII. MACULAE.

Fuscedo. Apud equos albos frequentius nasci constat melanosin. Lentigo, ephelis non inveniuntur, tamen apud canem observatum est chloasma ab Adamowicz (l. c. p.

468). Albinismus, vitiligo sunt potius animalium quam hominis.

MORBI PILORUM.

1. Canities etiam apud animalia ex iisdem causis.

2. Alopecia observatur apud animalia.

3. Plica, Poloniae endemius morbus, infestat Schlegel, Zakrzewski, Matuszynski, Rosenberg auctoribus etiam animalia domestica omnia. — Sed hactenus.

VITA.

Ego, SAMUEL ROSENBAND, Judaeus, Varsoviae natus sum patre ISAACO ABRAHAMO, quo adhuc vivo et integro ex animo laetor, et matre RACHEL e gente ZELNIKER, quam eheu! tribus abhinc annis morte mihi ereptam lugeo. Usque ad annum 1838 litteris solum talmudicis incubui et sub finem hujus anni Vratislaviam petii, ubi in gymnasium tum rectore humanissimo REICHE florens receptus sum. Ibi moratus usque ad annum h. s. quadragesimum primum, Idibus Martiis ejusdem anni examine maturitatis rite absoluto abii. Aprili a. 1841 in numerum civium almae universitatis Viadrinae ab Ill. GAUPP, tum fasces tenente, receptus sum nomenque dedi apud Ill. BETSCHLER, t. t. ordinis medici Decanum. Quas ibi per tria semestria scholas adii, hae sunt:

Mineralogia et repetitorium mineralogicum Ill. de GLOCKER; zoologia Ill. GRAVENHORST; botanice Ill. NEES ab ESENBECK, quo duce excursionibus quoque botanicis interfui; encyclopaedia medica et pathologia generalis Ill. HENSCHEL; osteologia et anatomia comparata Ill. BARKOW, qui idem cadavera secare me docuit; physice experimentalis atque de luce et calore Ill. POHL; chemia Ill. FISCHER; elementa chemiae Exp. DUFLOS; logice et psychologia Ill. THILO; de fasciis rite applicandis et de instrumentis Ill. BENEDICT; physiologia et psychologia physiologica Ill. PURKINJE.

Mense Septembri anni 1842 in numerum civium universitatis Fridericae Guilelmae Berolinensis receptus per sex semestria hisce interfui scholis:

Anatomiae c. h. et sensuum organorum Ill. J. MUELLER; materiae medicae Ill. MITSCHERLICH; de physiologia comparata infusoriorum Ill. EHRENBERG; pathologiae et therapiae speciali et de morbis cutaneis et syphiliticis Exp. ISENSEE; chirurgiae Cel. BOEHM; pathologiae generali et disquisitionibus microscopicis Exp. SIMON. Clinica adii virorum Ill. SCHOENLEIN, JUENGKEN, BUSCH, BAREZ, ROMBERG, DIEFFENBACH, TRUESTEDT. Medicinam forensem et politiam medicam me docuit Ill. WAGNER et tocologiam Exp. SCHOELLER.

Quibus viris omnibus, optime de me meritis, summopere venerandis, gratias ago semperque habebo, quam possum maximas.

Jam vero tentaminibus, tam philosophico quam medico, nec minus examine rigoroso coram gratioso medicorum ordine superatis, spero fore, ut dissertatione thesibusque publice defensis, summi medicinae et chirurgiae honores in me rite conferantur.

THESES.

1. Sydenhami illud „equitatio bonum remedium phthiseos" nobis probatur.
2. Morbi morborum remedia.
3. In delirio tremente venaesectio nocet.
4. Necesse est studeat medicus quisque morbis epizooticis.
5. Ratio anatomica sola valet, si differt, dissimilitudinem inter morbum animalium quendam et eundem in homine efficere. Ceterum similes inter se sunt quam maxime.
